



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVIII. Vtrum Christianæ Fidei suppetantargumenta eidentis credibilitatis
Mysteriorum eius?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

in contrarium falli, aut fallere, quo subuertitur eius auctoritas, & consequenter credibilitas rei fundata in ipsa auctoritate.

Ad 2. Euidencia credibilitatis necessaria ad fidem diuinam, est euidencia de credibilitate rei per eandem diuinam fidem; diuinam verò obiectiue, non efficien- ter ex parte obiecti, & non ex parte principij, siue, vt præstandam diuinæ auctoritati, non vt infundendam per se à Deo. Hæc enim duo siue sint, siue non sint inuicem conuertibilia, & indistincta realiter in seipsis, sunt certè separabilia formaliter in nostra cognitione ob eius imperfectionem. Sicut etiam in eadem ob eandem rationem est separabilis certitudo nostræ fidei excludens omnem formidinem à veritate eiusdem. Quæ re supernaturalitatem, infusionem, & veritatem nostræ fidei, credimus quidem certè per ipsam fidem, non tamen euidenter cognoscimus, licet cognoscamus euidenter nos posse credere Deo absque formidine, nempe euidentiæ formalitatum, & rerum mutò inseparabilium, sunt separabiles, & separantur tempore in nostro intellectu, vt patet exemplo euidentie de Deitate, & euidentiæ de Trinitate personarum.

Ad 3. Licet euidencia credibilitatis mysteriorum nostræ fidei dari non possit absque exacta notitia argumentorum illius, dari tamen potest, saltem supernaturaliter, absque exacta notitia immediata, & explicita eorum. Nec enim ad eam euidenciam, quidquam interest, an ea argumenta exactè cognoscantur immediatè, & explicitè in seipsis, an mediatè, ac implicite, & aquiualeuter, per demonstrationem magis compendiosam circa aliquem eorum effectum. Alterutro autem ex his modis omnes credentes, & quoties credunt fide diuina, præcognoscunt exactè omnia ea argumenta, vt dicitur quæst. seq. & qu. 21.

Ad 4. Obscuritas Fidei non repugnat euidentiæ credibilitatis, quæ distinguitur à re credibili, sed euidencia rei in se, atque cohæreere optimè potest euidencia circa aliquod prædicatum extrinsecum rei cum obscuritate circa eandem rem, vt est in se.

Ad 5. Ex argumentis Christianæ Fidei potest suboriri tum naturalis, tum etiam supernaturalis euidencia credibilitatis. Sed non est vtrique euidencia de credibilitate eiusdem generis, nec ab eodem principio adæquato dependet, nec effectum parit eundem. Euidencia namque naturalis est de credibilitate prudenti quidem, sed non absque aliqua, saltem minima, formidine. Sicut enim totalis exclusio formidinis ab actu credendi excedit vires naturæ, ita etiam excedit euidencia excludibilitatis eius. Atque hinc est difficultas maxima conciliandi obscuritatem fidei, cum summa eius certitudine, ac infallibilitate, vt apparebit quæst. 22. Deinde eadem euidencia oritur ex motu purè naturali signorum sensibilium secundum se, & ex sola actiuitate naturæ, paritque actum credendi naturalem, prudentem quidem, sed aliquatenus formidolosum. At euidencia supernaturalis est de prudenti credibilitate absque vlla prorsus formidine, oritur ex auxilio Gratie Dei, & ex motu supernaturali, vt supernaturali, estque per se inductiua actus credendi minimè formidolosi. Neutra verò euidencia habet sibi essentialiter deunctum actum primum proximum credendi, siue naturaliter, siue supernaturaliter: quia solam cognoscit credibilitatem, quantum est ex vi fundamenti, & obiecti, & quæ est supernaturalis, idè non est ante fidem, phrasi Augustiniana, & Conciliorum, quia sub nomine fidei intelliguntur promiscuè omnes actus supernaturales, qui per se interueniunt in opere salutariter credendi.



QVÆSTIO XVIII.

Vtrum Christiana Fidei Suppetant Argumenta euidentiæ credibilitatis Mysteriorum eius?



IDEV non suppetere. 1. Quia non potest esse euidenter credibile, quod probabile est non esse credibile. Probabile autem est non esse credibilia prudenti nde, de qua est sermo, mysteria nostræ fidei. Probabile namque est, quod nititur magno aliquo fundamento, qualia sunt multa fundamenta aduersus ea mysteria; vt aduersus Mysterium Trinitatis; Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem int. r. i. e. Aduersus peccatum originale: Non posse iuste puniri, & priuari sine suo eum, qui nihil mali egit propria voluntate: Præter ea, quæ militant aduersus Mysterium Incarnationis, & plura alia, quibus nulla maiora, ac vrgentiora produci possunt, aut solent pro vlla opinione probabili.

2. Quod est euidens, à nemine negari potest calente principia, ex quibus ea euidencia dependet. Plures autem homines ingeniosi, acuti, disertis, ac diligentis disquisitionis impugnant argumenta Christianæ fidei intellecta utique sufficienter ab ipsi, & negant ea sufficere ad prudentem credibilitatem. Ergo hæc credibilitas non est euidens.

3. Actus fidei prædicatur à Sanctis Patribus maxime meritorius apud Deum; non est autem maxime meritorium id credere, quod est euidenter credibile, maxime ea credibilitate, quæ euidenter ostendat, non posse credi oppositum nisi fatuè, ac stultè. Ergo argumenta Christianæ fidei non faciunt euidenciam credibilitatis, saltem qualis modò proposita est.

Art. 1. Res. Ostensa necessitate euidentiæ credibilitatis, per ea, quæ dicta sunt in quæst. præced. oportet iam ostendere adesse Euangelio, vnde ea euidencia habeatur, quæ est materia admodum locuples efficacissimè dicendi: quæ tamen necesse est, vt à nobis pro instituti nostri ratione, & pro aditu disputationis tantum, breuissimè perstringatur, attingendo per summa solum capita earum momenta rationum, quæ euidenter ostendunt credibile esse, auctorem Doctrinæ Euangelicæ esse Deum; ideoque ipsam prudentem suscipi posse, ac debere tanquam diuinam, seu Fide diuinam, absque vlla prorsus formidine.

Art. 2. Primum itaque hanc in rem argumentum est, quod plurimi faciunt, & insuperabilis eloquentiæ, ac rationis viribus vrget Augustinus l. 22. de Ciuit. Dei cap. 5. Naturalis scilicet incredibilitas doctrinæ Euangelicæ coniuncta cum fide naturaliter æquè incredibili, & nihilominus præstita illi de facto à doctis, & indoctis, numero credentium innumerabili, Doctrina Euangelica est partim speculatiua, partim practica immediatè, & quoad vtramque partem continet aliqua naturaliter incredibilia. Verum vtrilibet conuenit incredibilitas diuerse rationis; pars enim speculatiua est naturaliter incredibilis propter naturalem repugnantiam intellectus: Practica verò propter repugnantiam insuper specialem appetitus, qui etiam ipse in opere credendi exercetur. E. pondetur autem prius ea pars, quæ speculatiua est; quia minus dependet ab altera parte, quàm è conuerso; & quia Augustinus in eam solam oculos coniecit.

Art. 3. Doctrina igitur Euangelica quæ speculatiua est,

est, continet inter alia hæc naturaliter incredibilia; vnam naturam, & quidem vnam per summam simplicitatem, ac indiuisionem realem sui esse identificatam cum tribus personis realiter inter se distinctis, per summam oppositionem, ac distinctionem mutuam. Idem suppositum, esse Deum, & hominem, ita vt homo, mortalis, passibilis, &c. sit Deus, immortalis, impassibilis, &c. atque è conuerso; Mortuos reuixisse, & quidem cum præexisteret in corpore dispositio ad vitam etiam deterior ex vi causarum naturalium, quàm præexistisset in primo instanti mortis, & similia quamplura, quibus nihil naturaliter incredibilius esse potest inter ea, quæ solum naturaliter incredibilia sunt. Adde consequenter esse naturaliter incredibile futuram fuisse istorum incredibilium fidem, & quidem certissimam doctis, & indoctis numero propè infinito communem. Quid enim incredibilius, quàm ea fuisse credenda, à tam multis sapientissimis, & sincerissimis auditoribus, quæ erant naturaliter vsque admodum incredibilia? Istud autem posterius naturaliter incredibile, ita redditum est credibile ipso euentu omnibus manifestissimo, vt à nemine possit iam in dubium reuocari, nedum, vt falsum reiici. Est ergo euidenter credibile, Doctrinam Evangelicam esse diuinam, atque diuinam virtute propagatam. Pater consequentia, quia naturalis illa incredibilitas, hoc est, naturalis impossibilitas credendi, superari non potuit nisi virtute supernaturali, & propria Dei; Nec enim possibile est, vt à natura, & creaturis proueniat, quod est naturaliter impossibile.

Art. 4. Eadem doctrina Evangelica, quatenus practica immediatè est, inter alia continet hæc dogmata: Diligendos esse inimicos; Cuiusmodi habendum esse vnquamque à semetipso: Vindictam esse omninò cohibendam, nec regerendum talionem: Propter amorem, & honorem hominis inter duos latrones, publica sententia Sacerdotum, Principum, & populi consensu, ob causas eorundem iudicio, & attestatione grauissimas latè, crucifixi; renunciandum esse diuitiis, honoribus, voluptatibus, & cum oportuerit, vitæ quoque ipsi; Atque his, aliisque similibus non præstitis, beatum neminem esse possè; fore autem certissimè, & cumulatifsimè his præstitis, iuxta illa Oracula: *Diligite Inimicos vestros. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam; Mihi vindictam, & ego retribuam. Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Beati Pauperes spiritu, &c.* Quibus, & aliis similibus quamplurimis, nihil potest esse, respectu appetitionum homini connaturalium, magis aduersum: ac proinde nihil magis incredibile naturaliter esse potest, quàm, homines ea qualitate, & numero, qui notatus nuper est, libentes, volentesque illa amplexuros fuisse, voluntate liberrima, & constantissima; quod tamen à tot annis videt iam mundus contigisse. Euidenter autem apparet credibile non nisi Deo, eius doctrinæ, & fidei, vsque admodum vniuersaliter adhibita, existente auctore, contingere id potuisse, eo scilicet impellente homines ad fidem naturalium eorum inclinationi vsque admodum aduersantem, qui est supra naturam, & solus toti naturæ omninò dominatur, & eam trahit, quò vult.

Art. 5. Præterea ex ista secunda parte doctrinæ colligitur, neque ipsam, neque priorem partem induci in genus humanum potuisse, aliqua humani affectus nimietate, vel concupiscentis delectationes, vel timoris mala temporalia. Eiusmodi namque affectibus omnibus bellum indicit implacabile eadem doctrina, vt pote rerum omnium temporalium contemptum præcipiens magna ex parte, & consuleris vniuersalissime; cuius proinde generis affectibus vniuersis melius futurum erat sub quavis alia doctrina, quàm sub Evangelica. Fieri autem non potuit, vt eo affectu

ea doctrina susciperetur; quæ illi, vel maxime contradiceret. Inducta ergo est doctrina Evangelica solo sincera veritatis amore, quem pro rebus naturaliter incredibilibus, ac intolerabilibus, sola diuina virtus inspirare potuit. Alias autem doctrinas, & sectas, ac formulas Religionum præter Catholicam, confitæ obtinuisse fidem, & assensum suorum Professorum, vi alicuius nimij affectus humani, ac temporalis obsecantis, & præcipitantis intellectum in alienum rerum per se incredibilium naturaliter. Quod de plerisque eiusmodi doctrinis nimis notum est omnibus, nec de cæteris difficile est id ipsum cognoscere obseruantibus ex historia originum singularum, & documenta.

Art. 6. Secundum argumentum exhibent sublimitas, sanctitas, coherentia, & efficacia Doctrinæ Evangelicæ. Sublimitas apparet præcipue in his, quæ docet de Deo; nulla enim doctrina constituit Deum vique admodum excellentis potentia, iustitiæ, misericordie, libertatis, scientiæ, & sic de cæteris quibusvis perfectionibus ad extra: nulla itidem alia doctrina attribuit Deo modum essendi in vna natura, & tribus personis, non tantum superiorem, sed etiam contrarium modo essendi rerum omnium creatarum, seu finitarum in essentia, & perfectione, & in quem proinde ne quidem excogitandum humanus intellectus naturaliter assurgere potuit.

Art. 7. Sanctitas conspicitur in instructione morum, quos exigit ab omni labe purissimos, ac decantissimos, & heroicis, vltra limites rationis humanæ, vt ostensum partim est supra qu. 2. & ostenditur vberius in quaestione de obiecto virtutum supernaturalium in communi; & à posteriori ex eo patet, quia doctrina Evangelica peperit quamplures viros sanctitatis gloria conspicuos, & vniuersali morum commendatione mirabiles etiam apud aduersarios huius legis, quibus nullos nostris pares in vlla alia professione conspiciere licuit.

Art. 8. Coherentia elucet in consonantia vndeque perfectæ; tum omnium partium, ex quibus constat inter se, complectantur licet res propè infinitas, & plerasque abditissimas, ac nullis antea aliorum Doctorem vestigiis calcatas; tum cum ratione naturali, quoad ea omnia, quæ intra eius spheram certò continentur, deniando ab ea solum per excellentiam perfectionis, & excellentiæ.

Art. 9. Efficacia demum elucet in eo miraculo, quòd pauci ignobiles, inermes, piscatoriæ tantum, aliarumque similibus artium naturaliter periti, quampluribus, & Principibus, & Philosophis maximæ potentia, & sapientiæ humanæ, simul cum infima plebe, intra breuissimum tempus per orbem terrarum penè totum persuasere doctrinam vsque admodum arduam, & tam practicè, quàm speculatiuè naturaliter difficillimam, omnique destitutam illicio commodi, & voluptatis temporalis. Persuasere verò, ita vt discipuli parati essent, sicut Magistri tueri, ac propagare eam doctrinam, etiam cum dispendio vitæ, & languinis, idque complures opere ipso cumulati præstiterint. Quod certum est nulli alij doctrinæ cum tot, ac talibus circumstantiis, conferentibus ad eius æstimationem, contigisse vnquam; & euidenter credibile apparet non nisi auctore Deo contingere potuisse, quod naturæ vires, impetum, & modum agendi tanto superat intervallo.

Art. 10. Tertium argumentum conficitur ex Prophetiis, Miraculis, & Martyribus. Prophetiæ habentur plurimæ, tum in sacris literis, tum in cæteris historiis Ecclesiasticis, prædicentes multo antè tẽpore, futura contingentia, pendentia, vel à solis liberis Dei decretis, vel simul à libera hominum voluntate; idque non per ancipites æquiuocationum ambages;

sed

sed omnino distincte, & cum determinatione circumstantiarum, cum nondum esset vlla in causis secundis dispositio dirigens ad diuinandos eos euentus; qui tamen postea praedictionibus iuste correspondere. Eadem est ratio de praesentium, necnon praeteritorum secretorum cordis introspectione, & apertione, quorum nullum esset exterius signum, aut vestigium. Quae duo patet excedere vires naturae, nec nisi virtute diuina fieri potuisse. Facta verò per illam sunt, saltem vt plurimum, in confirmationem caeterorum, quae docentur ab ipso Deo.

Art. 11. Idem dicitur de Miraculis maximis, & manifestissimis, qualia sunt partus Virginis, & sterilitium, mortuorum resurrectio, visus caecorum, grauis claudorum, sanitas repentina languentium, absque prauiua ad illam dispositione, & cum indispositione naturali; Penetratio mutua corporum, aliaque eiusmodi quamplura, quae habentur in historia sacra, & humana, & edita fuere non in solam utilitatem eorum, quibus proderant; sed praeterea in confirmationem doctrinae, & saepe cum prauiua eius rei protestatione, & absque vllis apparentiae falsae veris indiciiis, qualia patitur in Simone Mago, & praemoniti sumus de Antichristo, nec vnquam defuere in caeteris, qui vtrumque imitati sunt; nec fieri potest, vt desint salua Diuinae Providentiae aequitate, & rectitudine, cum magno, & sincero erga homines, maxime innocentissimos, ac Deo deditissimos, amore coniuncta.

Art. 12. Prophetiis istis, & miraculosis euentibus adiciendum est illud insuperabile dilemma Augustiniani cap. illo 5. l. 21. de Ciuit. ad fin. quo vrget incredulos circa miracula. Est verò eadem ratio de Prophetiis, & de omni opere supernaturali edito in confirmationem Doctrinae Euangelicae. *Quaest. vi leguntur, ait Augustinus, gesta esse concedimus, ecce tot incredibilia, tribus illis incredibilibus addimus. Et vt credatur vni, &c. Si vero per Apostolos Christi, vt eis crederetur Resurrectionem, atque Ascensionem predicantibus Christi, etiam Miracula facta esse non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine vllis miraculis credidit.* Idem argumentum premit paulò aliter D. Th. 1. contr. Gent. c. 8. Addita quadam animaduersione specialiter vtili: *Hac autem, ait, tam mirabilis Mundi conuersio ad Fidem Christianam, indicium certissimum est praeteritorum signorum, vt ea vltimis iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidenter. Effet autem omnibus signis mirabilibus, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta; Mundus absque mirabilibus signis indutus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus. Quamuis non cesset Deus, &c.* Ex quibus apparet ratio, ob quam quaest. praeced. dictum est, omnes credentes fide diuina, & quoties credunt, cognoscere exactè, quantum sufficit, argumenta, quae modò proponuntur, facientia euidentiam credibilitatis per fidem diuinam. Quia scilicet, vel vident illa in seipsis immediate, vel mediate in eorum effectu, in quo, vt ait D. Thomas, apparent euidenter, nimirum in Fide, & traditione instruentis ad fidem; quod ipsum illustrabitur magis triplici quaestione proximè sequenti.

Art. 13. Martyres, qui pro Christo, & eius doctrina sanguinem suum fuderunt, licet quamplurimi sint, & ad vndecim milliones numerentur ex auctoribus fide dignis; non tamen tanti habetur numerus, quanti puritas vitae anteaeratae, sincera intentio veritatem quaerendi, & sectandi, sapientia omnium disciplinarum genere cumulata; profunda humilitas, quae obdurationi mentis per superbiam, aut futurae gloriae temporalis ambitioni nullum locum relinqueret; quarum, aliarumque virtutum dotes, aliae aliis excellenter, & quam multis nostris Martyribus omnes simul longo, minimeque interrupto ante obitum tem-

porè adfuere. Emicere verò in omnibus admirabilis constantia, tranquillitas, & alacritas animi, absque vllis tunc, aut prius indiciiis metis, passionibus, aut affectibus terrenis perturbata, & obcaecata, & contradicentibus, seu conatibus, seu perturbationibus implicata, ac vacillantis; sed à solo Dei, & veritatis amore firmiter, totaliterque possessa. Quos omnes commendationum titulos praesferentes manifestissima astitit, & documentis suis cooperantis Diuinitatis signa, nulla alia doctrina in suis Athletis conspiceretur; nec conspicienda suppeditare viribus ius natura sola potest.

Art. 14. Haec omnia prosequuntur late summa cum diligentia, & productis idoneis facti probationibus, atque comparationibus, Puente Hurtado de Mendoza, dil. p. 21. de fide, & alij apud ipsum, atque post ipsum. Is autem attentè, sincero, & pacato animo consideratis, ponderatis, ac introspectis, conuertendi sunt oculi in Prouidentiam diuinam, cuius rectitudini, & summae aequitati, qua regit mortales, euidentissimè apparet repugnare, vt permittat, tot ac talibus doctrinae verae, ac diuinae signis reddi credibilem eam doctrinam, quae nec diuina, nec vera sit, vtque argumentis vsque adeò insuperabilibus seducantur homines amatores veri, atque ab vltimo suo fine auertantur cum innocenti temporalium simul, & aeternorum bonorum iactura laudabili; vnde ius eis suppetat exclamandi cum Richardo de Sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine, si error est, quem credimus, à te decepti sumus; iis enim signis doctrina haec confirmata est, quae nisi à te fieri non potuerunt. Quam exprobrationem aduersus Deum absolute conceptam, quia impossibile est iustam esse; impossibile quoque est, vt nos in huius doctrinae Fide decipiamur. Suppetunt igitur Christianae fidei argumenta clarissima euidentissima credibilitatis mysteriorum eius.*

Ad 1. Probabile est, quod niter fundamento, non solum absolute, & secundum se magno, seu quod, nulla alia re considerata, habet vim magnam ad pertrahendum intellectum ad assensum; sed etiam comparatiuè magno, seu quod, consideratis etiam iis omnibus, quae militant in contrarium, adhuc retineat magnam vim pertrahendi intellectum, qualem prudentes homines plerumque, aut satis frequenter iudicant sufficientem ad praestandum honestè assensum, de qua re vberius dictum est in quaestione de actibus humanis. Argumenta autem contradicentia fidei Christianae, vtcumque difficilia secundum se; si tamen comparantur cum argumentis fidei superius productis, deprehenduntur esse leuissima, praesertim adiciendo reflexionem ex se claram, ac manifestam; quod difficultas Mysteriorum nostrae fidei respectu nostri intellectus, non tam fundatur in iis, quae ipse certò, ac clarè nouit, quam in iis, quae certò, & manifestè praeteruolant eius capacitatem, propter sublimitatem eorum, & tenuitatem eius. Qualia sunt natura, & constitutio Dei, & quae Deus supernaturaliter operatur, supra, non tamen contra cursum causarum naturalium. Ad haec enim intellectus humanus sibi relictus, & cum principiis sibi connaturaliter notis, comparatur sicut oculus nocturnae ad lucem solis, vt iure optimo dicunt D. Thomas, & alij communiter. Talia igitur argumenta comparata cum argumentis Christianae fidei, sunt absolute leuissima, nulliusque momenti, & quae pertrahere ad se non possint, nisi volentem sponte errare, per superbiam, aut stultitiam.

Ad 2. Quae sunt absolute, & in se euidentia, possunt nihilominus negari ab iis, qui nolunt ea attentè considerare, sed applicant animum ad ea, quae sunt in contrarium, quo pacto contingit negari etiam aliqua, quae sunt per se nota. Id autem faciunt, qui negant

negant credibilitatem Myſteriorum noſtræ fidei. Avertunt enim animum ab argumentis ſuperius productis, & à conſideratione operum ſupernaturalium Dei, & conuertuntur toto conatu ad rationes purè naturales; atque ita voluntariè ſe impediunt, quomòdò aſſequantur credibilitatem Myſteriorum fidei, eaque delectentur. Quod tamen perſè sine peccato contingit, vt dicitur inferius, & clarè patet nihil nocere evidenti per ſe credibilitati eorundem Myſteriorum: Vt cumque, qui illam ea ratione negant, ingenioli ſunt, & diligentes. Sunt enim diligentes non pro aſſequenda, & declaranda veritate; ſed pro ea obtenebranda, & remouenda à ſe per abuſum ingenij, & laboris, propter difficultatem ſuperius notatam doctrinæ Euangelicæ, præſertim, quæ practica eſt.

Ad 3. Deus eſt ſummè diligibilis; & tamen eius dilectio eſt meritoria præ omnibus aliis actibus virtutum. Poſſunt ergo ſimiliter myſteria noſtræ fidei eſſe ſummè credibilia, & nihilominus eorum fides eſſe ſummè meritoria ſuper omnes alios actus honeſtè imperabiles intellectui. Ratio vtrobiq; eſt eadem, quia ſicut dilectio Dei opponitur dilectioni rerum temporalium, & ſenſibilium, quæ pollent maxima vi ad pertrahendam noſtram voluntatem, ita fides myſteriorum ſupernaturalium opponitur rationibus naturalibus, quæ propter ipſarum claritatem maxima vi pertrahunt ad ſe intellectum noſtrum. Atque aliud eſt eſſe euidens, atque aded facilem credibilitatem; aliud verò eſſe facilem ipſam fidem.



QVÆSTIO XIX.

Vtrum locutio Dei per ſeipſam immediate, an per aliquid aliud manifeſtetur, & ſufficienter proponatur credentibus?



IDEVR manifeſtari, & ſufficienter proponi immediate per ſeipſam. 1. Quia locutio humana manifeſtatur, & ſufficienter proponitur per ſeipſam: Deus autem loquitur ad inſtar hominum, vt apparet ex comparatione illa Ioannis, *Si teſtimonium hominum, &c.* de qua dictum eſt quæſt. 16. & præterea locutio Dei eſt magis perfecta, & proinde magis efficax, quàm locutio hominis. Ergo non eſt minus ſufficiens, quàm hæc ad finem ſuum, qui eſt manifeſtatio ſui, & aliorum.

2. Locutio Dei eſt obiectum formale fidei. Credimus enim myſteria fidei, quia dicta ſunt à Deo. Si autem manifeſtaretur per aliquid aliud, eſſet obiectum materiale, vt potè cognita ratione alterius.

3. Si eſſet de ratione locutionis diuinæ, vt innoſceret mediata, non poſſet fides, qua Deo creditur, componi cum euidencia in atteſtante, quæ videlicet euidencia in eo conſiſtit, quod immediate cognoscit, ac diſcernit loquentem, & eius locutionem. Poſt autem componi. Quia Angelus ſupremus, primam de rebus ſupernaturalibus notitiam non habuit per viſionem, ſed per fidem, eamque concepit, non alio docente, ſicut inferiores Angeli, qui per ipſum edocti fuere; ſed per immediatam perceptionem Dei cum eodem loquentis. Ergo locutio Dei terminans aſſenſum fidei, poſtè immediate manifeſtari per ſeipſam.

4. Si locutio Dei, cui aſſentimur per fidem, cognosceretur mediante aliquo alio, nullum eſſet diſcrimen locutionis Dei naturalis perceptibilis per ſcientiam, à locutione eiſdem, ſupernaturali perceptibili

per fidem. Quia locutio Dei, qua nobis naturaliter præcipit, contulit, promittit, & minatur, legemque naturalem promulgat, percipitur mediancibus creaturis, nec eſt alia ratio, ob quam dicatur percipi per ſcientiam. Ergo etiam locutio ſupernaturalis percipetur non per fidem; ſed per ſcientiam, ſi mediante aliquo alio creato perciperetur.

Art. 1. Reſp. Locutio ad alterum, quæ ſola ad præſens ſpectat, eſt manifeſtatio proprii conceptus reſpectu alterius. *Nihil enim eſt aliud loqui ad alterum,* vt dicit D. Thom. 1. p. q. 107. ar. 1. *quàm conceptum mentis alteri manifeſtare.* Manifeſtatio iſta reſpectu hominis eſt duplex, alia interior, alia exterior. Exterior fit per voces articulatas, aut alia ſigna ſenſibilia illis æquivalentia. Interior verò fit remotè per ſpecies impreſſas conceptuum loquentis, proximè per cognitiones apprehenſivas, aut indicativas ex illis ſubortas. Homo homini loquens ſolam exercet locutionem externam immediate; internam verò non niſi mediate, quia eius operatio circa alterum, cum ſit materialis, nequit perſtere immediate ad potentias internas alterius. Deus autem, & Angelus poſſunt ob contrariam rationem exequi immediate locutionem etiã internam, tùm nullis præmiſſis exterioribus ſignis habentibus rationem locutionis, tùm ſuperaddendo nouam locutionem locutioni exteriori, vltra vires manifeſtativas conceptus, conuenientes illi ſecundùm ſe præciſè conſideratæ.

Art. 2. Rurſus Angelus ſolum loqui poſtè alteri, ſine Angelo, ſine homini, per cognitionem, aut actionem illatiam cognitionis, non libera audienti, ſine ad quam audiens non ſe determinet liberè. Deus autem loqui poſtè per cognitionem etiam, quæ ſi libera audienti, & ad quam audiens ſe determinat liberè determinatione poſitiua, & directa. Quia manifeſtatio poſita in definitione locutionis, accipitur à D. Thoma loc. cit. aliorumque communi conſenſu, vt datio, & donatio quædam pro manifeſtatione propria rationalis ſubſtantia, rationaliter, hoc eſt, liberè facta, cum poteſtate occultandi, quod manifeſtatur. Vnde homines rationis expertes dicuntur loqui propter ſimilitudinem, & imitationem præciſè, latenti quadam eius vocis ſignificatione, ad eum ferè modis, quo pſitaci, aliæque aues, & animalia cætera, loqui dicuntur per actiones, quæ manifeſtant internas eorum ſenſiones, ac aſtimationes. Cognitio autem liberè concepta ab vna ſubſtantia nulli alteri ſubſtantia creatæ eſt libera ex natura rei absolute, ſeu poſitiuè, ac directe: eſto dependeat ab actione libera alterius, poſſitque propterea eſſe negatiuè, & indirectè libera alteri. Quare libertas Angeli loquentis poſitiua, & directa ibi interrumpitur, cuiusque proinde locutio terminatur, vbi incipit libertas audientis dependenter ab actione libera loquentis. At Deo ſunt liberæ omnes, & ſingulæ actiones creaturarum, non minùs, ſed multò magis, quàm ipſis creaturis, ac proinde ſunt illi liberæ, non tantum indirectè, mediate, aut negatiuè, ſed etiam poſitiuè, & immediate. Quare Deus loqui nobis vterius poſtè per illam ipſam cognitionem, qua audimus, & percipimus priorem aliam eius locutionem, eique liberè aſſentimur. Diſcrimen iſtud libertatis diuinæ, & creatæ quoad actiones liberæ aliorum, conſtat partim ex dictis quæſt. 19. de Grat. circa gratiam præuenientem, & clariùs ex q. de Prouid. Dei, & Prædeſt. eo que ſuppoſito diſcrimine, nulla eſt de reliquo difficultas in dictis.

Art. 3. Locutioni tam internæ, quàm externæ conuenit, iuxta definitionem datam, eſſe manifeſtatiam conceptus. Eſt verò eius manifeſtatia præcipue quoad duo. Manifeſtat enim cuiuſnam ſit conceptus, & qualis ſit, ſive circa quod verſetur obiectum, & an affirmatiuè, an negatiuè, & ſic de cæteris conditio